

mibi singulariter benedicit, ut non habeam causam nisi gaudendi, & diligendi & benefaciendi similiter iis, qui contraria de me meruerunt, sicut & ego contraria merui, quam accipio a Domino. Igitur & vos estote contenti, rogo, & ponite amaritudinem, sicque est, & non moveat vos excorporatio mea. Quia sic voluit Dominus, cui non est resistendum. Hactenus LUTHERVS, qui in Doctoratus sui gradu tranquillo animo acquieuit, & vocatione illa nova ad munus publicum ore & scriptis docendi ac profitendi doctrinam coelestem eo magis fuit excitatus ad gloriam Dei promovendam, dignusque habitus, qui alia quoque expediret, & parum abfuit, quin ab hac assiduitate avocaretur, adeo multis negotiis ipsum obrutum voluerunt. Ita ad IOANNEM LANGVVM, Patronum suum optimum, scribit: Opus est mihi prope duobus scribis seu cancellariis: pene nihil per diem ago, quam literas scribo: idcirco nescio, an eadem semper repetens scribam, tu videris. Sum concionator conventualis, Ecclesiastes mensae, desideror quotidie & parochialis praedicator, sum regens studii, sum Vicarius, id est undecies prior, sum Terminarius piscium in Lizkau, Actor causarum Herzbergensium in Torgau, Lector Pauli, collector Psalterii, & illud, quod jam dixi, majorem partem occupare temporis mei epistolarum scribendarum negotium. Raro mihi integrum tempus est, horas persolvendi & celebrandi, praeter proprias tentationes cum carne, mundo & Diabolo. Vide, quam sim otiosus homo. Epist. XXI. jam Anno 1516. die 26. Octobris, quadriennio post impetratum Doctoratum. Ita tamen deinceps est elutatus ex his omnibus, ut muneri docendi tandem eo commodius vacarit, & Scripturam legendo, interpretando pro cathedra & suggestu, falsam doctrinam refutando, orando ac meditando horas optime collocaverit,